

J.M.34681 A 26968

ELEGIA DE MV.
SARVM IN GERMANIA HO-
SPITIO, CVI ET SCHOLAE NIS-
sensis descriptio ac encomion
infertum est.

Autore
VALENTINO POLNERO
NISSENO.



Viennæ Austriæ excudebat Egidius
Aquila. Anno

M. D. LII.

1552

Lund 502

M. IO ANNIS KELLII
Sueui, Epigramma.

Certè magna tibi debetur gloria Nissa,
Quod struis eximias pubis amore Scholas.
Inde patet, studijs toto te corde fauere,
Æternumque tibi quod velis esse decus.
Nil dubita, referes dignissima præmia quondam,
Quæ mox pro meritis docta corona dabit.
Aspice quos fructus, quæ solus commoda præstet
Leander, vestræ maximus vrbishonos.
Doctus ubi Albinus? Nissenæ pubis habendas
Qui tenet, ô magne dexteritatis homo.
Quid loquar hunc, qui iam Polnerus carmina donat
(Quam verè ingenio pollet & arte) tibi?
Accipe nunc igitur strenam, præclare Senatus,
Missam, Polneri quam bona Musa dedit.
Hoc breue nam tempus si flores attulit istos,
Quas fruges olim meis adulta feret?

IOANNES BELSIUS
Eperiensis.

Qui tibi non faueat iuuenum Polnere modeste,
Pectus huic ferri & duri Adamantis inest.
Integritas laus est, Clario sed ludere in horto
Pectine cum Musis gloria maior erit.
Perge, iuuante Deo, sic saltem Aganippidas vndas
Lambere, & incepto pocula fonte bibe.
Si biberis, cresces: video nam sidera Solis
Cum Venere, & Lunam ritè fauere tibi.
Mercurius Libram tenet, hic splendentia verba
Semper amat, tales efficit atquesuos.
Sed mea ne vltierius diffundam carmina, laudo,
Tempore quod mittis xenia digna tuis.
Tu prudens igitur, Nissæ pars clara, Senatus
Crescentis paruum suscipe vatis opus.
Haec, paucis contentus, ama, gremioque tuere,
Zoile flecte etiam, fex inimica, pedem.